



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Lex. V. Præscrita à Christo Domino Lucæ 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

fectionis studiosus, tempus constanter ob-
 serva, quod semel tibi praefixeris. 2. Con-
 serva tempus, non nimium temporis, non
 multas horas comestioni superflua impen-
 dent tempus enim sic inutiliter teritur, opera
 pia negliguntur, sanitas laeditur, morbi
 accersuntur, mors acceleratur: praesertim
 in caena: ut sis nocte levis, sit tibi caena bre-
 vis; nimia saturitas divitis non sinit eum
 dormire quiete. 3. Observa etiam locum:
 si quis esurit, domi manducet, loco consue-
 to, non in templo, non foris. Semper ad com-
 mune refectorium vadas, suadet Thomas
 de Kempis lib. 1. de discipl. claustr. c. 6.
 4. Fuge, quantum potes convivium secula-
 rium, praesertim presente altero sexus, eaq;
 non nisi perrarò, iustaq; de causa adi: ita vi-
 ri sancti & prudentissimi suadent. S. Hie-
 ron. Ep. 2. ad Nepot. Consolatores potius nos
 in mœroribus suis, quam convivas in pro-
 speris noverint.

Lex V. Præscripta à Christo Do-
 mino Lucæ 21.

Attendite vobis, ne fortè graventur cor-
 da vestra crapulâ & ebrietate. Ne ni-
 miâ cibi & potûs quantitate & varietate

corpus graves, sanitati noceas, mentis alacritatem hebetes, teque ad exequendum munus tuum inhabilem reddas: nam ex hac cibi, potusque intemperantia ac redundantia, oritur stupor, languor, tedium, somnolentia, scurrilitas, loquacitas, dissolutio, immunditia, contentio, omnium virtutum destructio, humorum noxiorum coluvies, omnium morborum series, ipsa denique mors acceleratur. Plures occidit gula, quam gladius. Ne igitur ad plenam satietatem comedas sed cum quodam adhuc appetitu surgas, & cum S. Augustino, ad alimenta, tanquam ad medicamenta accedas, de quibus non plus, quam necessitas, à prudente sumitur.

Lex VI. à Deo lata Gen. 4. v. 7.

Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non sequere appetitum tuum, ut illi, quorum Deus venter est, sed vince & mortifica appetitum edendi & bibendi, ut non dominetur tibi, sed tu illi prohibita frenum injice. Cave quoque ne nimis delicata secteris, nec communibus acquiescas; sed potius amore Christi communia & viliora elige. Cave etiam (ut docet